Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-58131 2-p0001-2

aliq̃ de signo xp̃i incarnacionis
incarnacio fuit vna valde mirabile
nullus enim potuit ipm̃ facere nisi deus
aliud Jo. iij. Nemo pt̃ hec signa facere
faciens nisi deus fuerit cum illo Unde
ing̃ notare q̃ in xp̃i incarnacoe fue
natura notabilia signa q̃ s. Duo
itas fuit immutata primo q̃ fuit im
tas fuit ipregnata mutata ex sta
tas fuit temptata bilitas de eim
tas fuit inclinata mo fuit immuta
le qui est immutabilis et eternus est
signum qd̃ fecit moyses coram pharaone
signum suam proiecit in terram et mu
st in colubrum sicut di. Exo. vij. Quia ve

petrauit sicut hest iij et viij
nim tanta esset regis assuet. dei prius seni
tas q̃ totum ppl̃m porta infern. praeuale
rent et q̃ nullus ad eum intrare potent nisi
primo virgam suam filius suum bridem pro
signo reconciliacionis tenderet in manu
mundum ad ipsum ester. ad bri
gitte in signum [illegible] fuit p mirac
tenta et sic [illegible] humano genere po
nia est obtenta et totu seuerius tp
aliud genus vi dicam meum ponam in nubibus
filium meum ponam in mare puris viscerib
et erit signum federis inter me et terram
tpata dei seuerius Quartum signum fuit
q̃ ibi inclinata ecclesias fuit [illegible]

33 sache, →
Ne

Sammelwerk

de

Ge. 1127

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-581312-p0002-8

Positiones
DE LECTIONE NOMINIS DIVINI
יהוה

Quas

בגה

PRO LOCO

In Amplissimâ Facultate Philosophicâ ab ejusdem Facultatis venerando Collegio benevolè sibi adsignato, publicæ ventilationi subjicit

M. PETRUS Richter Caloviâ-Lusatus

RESPONDENTE

JOHAN ERICO OSTERMANO Sorbigensi.

In Auditorio majori horis à septimâ matutinis die X. Decembris,

WITTEBERGÆ,
Typis hæredum CHRISTIANI THAM.

Anno cIↃ IↃ CXXIX.

19.

Admodum Reverendo Clarissimo ac Præstantissimo Viro

DN. M. MARTINO VVILLICHIO, VENERABILIS MINISTERII ECCLESIASTICI APUD HAMBURGENSES SENIORI meritissimo, & apud eosdem ad D. Catharinæ Pastori vigilantissimo,

Domino, Patrono ac promotori suo magno

hasce suas positiones inscribit

Præses.

Positio prima.

DE nomine Hebræo יהוה (quod nostrates Theologi soli Deo vero, ut proprium, attribui contra Photinianos & alios id negantes affirmant) varia à variis solent disputari.

2. Nobis propositum est hac dissertatione quædam de ejus lectione in medium afferre, cùm hic à doctissimis in diversas soleat iri sententias. Et quidem 1. an literæ יהוה unicam, an verò plures denotent voces? 2. An habuerint proprias Vocales, per quas fuerint effabiles? 3. An Vocales, quibus hodie afficiuntur, sint earum propriæ? 4. Si non, quid denotent? 5. Quæ sint propriæ Vocales. De singulis ordine.

I.

3. Non unicam, sed plures denotari per literas יהוה voces, existimant Judæi maximam partem omnes, propterea nomen illud appellant שֵׁם הַמְּפוֹרָשׁ nomen expositum, quòd per plures voces debeat exponi.

4. Et quidem illius expositiones tradunt duas; alteram per duodecim, alteram per 42. literas. R. Bechai priorem in triplici combinatione literarum יהוה: posteriorem autem in 42. literis prioribus initii Geneseos, per variam & multiplicem combinationem eruendam, latere existimat. Sed nec dat suæ assertionis ex sacris fundamentum, nec ostendit, quomodo per literas eas nomen illud exponendum, ut nec alius quisquam; præterquam,

terquam, qvod quidam nugas risu dignissimas absque omni fundamento effutiant. Quin imò Scholiastes, teste Buxt. ad locum Cod. Thal. Kidduschim cap. 4. ait: Nomen duodecim & quadraginta duarum literarum non revelârunt nobis (majores nostri.)

5. Nihilominus tamen Petrus Galatinus l. 2. de Arcanis Cathol. Verit. c. 11. & 12. hanc affert expositionem nominis duodecim literarum אב בן ורוח הקדש Pater, Filius & Spiritus Sanctus: Quadraginta duarum autem vel talē ex גלי רזיא Rabbenu Hakkadosch, אב אלהים בן אלהים ורוח הקדש אלהים שלשה באחד אחד בשלשה Pater Deus, Filius Deus, Spiritus Sanctus Deus; tres in uno, unus in tribus: vel ejusmodi: אב אל בן אל ורוח הקדש אל אבל לא שלשה אלהים כי אם אלוה אחד Pater Deus, Filius Deus, & Spiritus S. Deus: sed non tres Dii, verùm unus est Deus.

6. Quas expositiones si autoritatibus Rabbinicis confirmasset, eæq; ibi reperirentur (non enim novum est Galatino, allegare Rabbinos, quos tamen si excutias, nihil minus, quàm illud, quod inde vult probatum, invenias: Ut aliquoties sibi contigisse, hinc inde conqueritur Buxtorfius) non quidem viderem, quomodo יהוה applicari possent, firmissimum tamen ad probandam Trinitatem contra Judæos nobis suppeditarent argumentum, cum Rabbinis suis contradicere non audeant. Sed cum id non fiat (librum enim גלי רזיא, si aliquis est, confictum à Christianis esse ajunt) nostrates hoc testimonium Judæis opponentes, tantum proficiunt, ut ab illis rideantur.

7. Quoniam igitur Judæi tantum dicunt, nihil autem probant nec talium expositionum solidum fundamen-

damentum monſtrare poſſunt: nihil etiam firmi Galatini expoſitiones habent: nos literas illas pro una voce habebimus, donec ſolidius quid in contrarium facrit prolatum.

8. Licet enim & Clariſſ. Schikardus (quem ob eruditionem eximiam in Linguis Orientalibus meritò quivis magnifacit, & cui ego ob uſum, quem ex Horologio habeo, non parùm debeo) hic diſſentiat, dum in tractatu Germanico der Hebraiſche Trichter cap. 1. pag. 16. in hæc verba deſinit: Der groſſe Name Gottes יהוה &c. iſt eine kurtze abbreviatur/deſs weſentlichen vnnd längern Nahmens Gottes/ da jeder Buchſtabe ein gantzes Wort bedeutet/ als denn geſchrieben ſtehet Exod. 3. v. 15. hoc eſt זִכְרִי memoriale meum, das iſt meines Namens Gedenckzeichen/ gleicher weiſe/ wie im Titul des Creutzes Chriſti die vier Buchſtaben/ I N R I nicht Inri, ſondern Jeſus Nazarenus Rex Judæorum lauten/ oder im deutſchen R. K. M. Römiſche Kayſerliche Majeſtät bedeutet: Alſo bringt auch da ein jeder Buchſtabe ein gantzes Wort/ vnd bedeutet dem Inhalt nach: ER iſt DER ER iſt/ laut des vorhergehenden Textes/ da Gott zu Moſe ſagt v. 14. ICH bin der ICH bin/ welches denn Johannes noch deutlicher erkläret Apoc 1. v. 4. Der da iſt/ der da war/ vnd der da ſein wird.

9. Sic, inquam, licet vir ille clariſſ. ſtatuat, hîc tamen, quod pace ejus dixerim, cum eo facere non poſſum, ex eo, quod 1. tantum dicere, Ein jeder Buchſtabe bringt ein gantzes Wort/ vnd bedeut den Inhalt nach/ Er iſt/ der Er iſt/ non autem illud probare

videatur: Nam זֵכֶר recordatio Dei etiam per unum Vocabulum potest fieri. 2. Quod in fonte non habeatur, meines Nahmens gedächtniss/ sed tantum זִכְרִי 3. Quod licet concedatur, ut concedi debet, in Apocalypsi Apostolum in caput alleg. Exod. digitum intendisse, ex eo tamen non inferetur, יהוה per plures voces debere legi. Tandem similia in I N R I & ℜ. ℵ. ℳ. ad rem declarandam non essent inepta, modo primum demonstratum fuisset, in יהוה quamlibet literam distinctam denotare vocem.

II.

10. Ut autem יהוה unam vocem denotare judico: Sic etiam proprias Vocales antiquitùs ei fuisse attributas statuo: cum quælibet vox, ut in aliis linguis; sic etiam in hac Hebræa consonis & Vocalibus constet: licet hæc cum aliis Orientalibus linguis hoc peculiare habeat, ut ab exercitato, ex analogia & contextu (etiamsi Vocales consonis non fuerint additæ, quæ esse & secundùm quas voces proferri debeat) sciri queat. Habuit ergo יהוה Vocales suas, per quas fuit effabile.

11. Quod nec Judæi negant, dum asserunt, quotannis nomen hoc à summo Sacerdote Sanctum Sanctorum ingresso, secundum consonas & Vocales fuisse prolatum. Quod fieri non potuisset, si nomen hoc omninò ineffabile fuisset. Idem patescit, quando de Josepho Historico refert Drusius, *Certè Josephus eam pronunciationem per literas se scire profitetur; sed non fas, inquit, mihi eloqui.* Et ex abhoda Sarah Buxt. hanc narrationem producit: *Adduxerunt R. Chaninan filium Teradjon, dicentes ipsi; qua ratione sic egisti in lege?*

lege? Respondit ipsis, sicut præcepit mihi יהוה *Deus meus, sic egi. Quo audito protinus ipsum ad combustionem damnârunt; uxorem ad necem, filiam ad lupanar. Ipsum ad combustionem, quod protulerat nomen tetragrammaton per literas suas ex vi decreti per Abba Schaul lati: quicunq; protulerit nomen tetragrammaton per literas suas, non habebit partem in futuro seculo.* Si itaq; prolatum est, etiam proferri potuit, si proferri potuit, habuerit Vocales necessum est, cum consonæ Vocalibus omnino destitutæ sonare nequeant.

12. Effabile etiam ex instituto divino esse debuisse, probatum dat Matthias Flacius Illyricus part 2. clavis Script. Tract. 6. pag. 627. edit. prior. hunc in modum: *Exodi 3. quærit Moses, inquiens, cum venero ad Israelitas ac dicam, Deus vester misit me ad vos, querent, quod est nomen ejus? Quid dicam eis?. Respondit Deus: Dic Jehovah* (sic ipse legit) *misit me ad vos. Hic disertè quærit Moses de nomine dicendo, indicando seu effando Israëlitis, & Deus ei hoc nomen Jehova, ut eloquatur & indicet Israëlitis præcipit. Ergo fuit nomen dicibile, fabile &c. Aut & Moyses & Deus (si dicere fas est) nugatur & dicere significat hic tacere non effari. Ad hæc quid sibi vult Deus, cum toties Prophetæ mandat, ut dicat: Sic dicit Jehova &c. Cur præcipit, ut dicat, sic dicere Jehovam, si omninò Jehova effari pronunciariq; non potest? Certe quicquid scriptile, id & effabile est. Cur enim alioqui scribuntur, quæ scribuntur literis sonum significantibus, nisi ut effari sonariq; possint?* Hactenus verba Flacii, quibus & literas יהוה effabiles esse probat, & per Jehova lectas fuisse insinuat.

III. 13. Sed,

13. Sed, quod pace tanti viri, aliorumq; clarissimorum Theologorum liceat (licere autem spero, cum pro meâ etiam sententiâ, præter Judæos & Grammaticos Christianos maximam partem omnes militent Theologi nostrates non postremæ notæ) circa posterius membrum, quo vocem hanc per Jehova lectam fuisse insinuat, ab eo dissentio.

14. Idq; propterea, quod pronunciatio illa sit nova & contra totius Antiquitatis suffragium introducta. Petrus Galatinus enim, qui superiori seculo, tempore Maximiliani I. vixit, primus hujus prolationis autor adseritur & creditur. Nam illis, qui antiquiorem existimant, quod Ethnicorum Deus à Jehova *Jovis* sit dictus, non adstipulor, sed potiùs *Latinis*, nomen sui *JOVIS à JUVANDO* deducentibus credo.

יְהֹוָה

15. Inquis, Esto; novam esse pronunciationem, modo sit vera. Vera autem est; Nam Jod cum Scheva legitur Je: He cum Holem Ho: Vav. cum Camez & He finali quiescente VA, atque sic tota vox JEHOVA!

16. Si ita combinentur literæ יהוה cum Vocalibus substratis effici dictionem Jehova, concedo, nec puto quenquam facile negare. Sed id est in quæstione, *An Vocales illæ, quibus cum literæ* יהוה *ita conjunguntur, sint illæ, per quas antiquitus eæ prolatæ fuerunt?* Id enim nego, & mecum Josephus Scaliger in notis ad fragmēta p. 34. adductus autoritate Philonis Judæi, allegante & approbante adm. Rev. Clarisf. & Excell. Domino D. Jacobo Martini, Præceptore & Patrono meo magno in Præfat. lib. 2. de 3. Elohim. Drusius in nomine Tetragrammato. Buxt. in Rad. היה Schikard. im Trich-

ter

ter p.34. M. Paulus Rösselius p. m. in disp. 1. anno 1618. Resp. Hieronymo Prætorio nunc in Academ. Jenensi Prof. Publ. publicè hîc habitâ, non dissentientib. Adm. Rev. Clarisf. & Excell. Dnn. DD. Frid. Baldwino & D. Meisnero, ut carmina illorum, disputationi in gratiam Resp. annexa ostendunt.

17. Nam quemadmodum Masorethæ, si quæ vox in Codice sacro occurrit, quæ vulgò obscœnior habita, eam quidem, ut in textu invenerunt, ratione consonarum retinuerunt, adscriptis tamen Vocalibus ei illius vocis, quam in margine posuerant, quamq; loco textualis Obscœnioris efferri volebant, vide Deut. 28, 30. Esa. 13, 16. Esa. 36, 2. 2. Reg. 18, 27. 2. Reg. 10, 27. 2. Reg. 6, 25. 1. Sam. 5, 6. c. 9, 2. Jer. 3, 2. *Ut est apud Buxt. in Rad.* שגל, שין *Ubi invenies jam Paraphrasten Chaldæum ex notæ Masoretica textum vertisse.* חור & seq. ubi *traditio Thalmudica, Omnes voces quæ scriptæ sunt in lege obscœnè, legunt eas honestè, & in* עפל. *Rev. & clarisf. Glassium in Philol. Sacra p. 11. & 280 Clarisf. Wilh. Schik.* im Trichter *p. 50.* Sic simile quid contigit literis יהוה, ut & illis ab iisdem Masoretis aliæ sint substratæ Vocales, non quidem obscœnitatis vitandæ caussâ; talis enim inibi non datur, sed ne sæpe usurpatum nomen hoc vilescceret. *Apud Priscos enim Hebræos* (sunt verba Buxtorfii in Rad. הוה) *in majori reverentia, longeq; sanctius hoc, quàm reliqua Dei nomina fuit habitum, quæ partim ab effectis, partim ab attributis illius sunt petita, & pio quodam studio ab eo pronunciando abstinuerunt, ne quotidiano usu vilesceret & in vanum sumeretur, ut ea quæ subinde in ore sunt. Vid. etiam Schick* im Trichter *p. 58.*

18. Quod autem consonæ vocum pro eo efferendarum in margine non sint positæ, factum est, quod propter quotidianum usum nemini non potuerint esse notissimæ. Non secus ac hodie nemo JCtorum ignorat, quod *ff. digesta §. paragraphus* sit legendum, licet vocibus signa hæc nihil simile habeant.

19. Infers: Posito hoc; inserta esse in textum puncta Vocalia alia, quàm antiquitùs יהוה habuerint, sequi, Biblia ratione hujus vocis esse corrupta.

20. Si Lutheranus aut Calvinianus es, qui id sequi existimas, quid respondebis Pontificio hoc argumentum contra te urgenti? Factam esse insertionem punctorum, ut in iis Vocabulis quæ vitandæ obscœnitatis gratia aliter sunt lecta quàm scripta, consonisque in textu aliæ vocales additæ, sic in nomine יהוה ex consensu Hebræorum Pontificius probabit. Quem consensum tu faciliùs negabis, quàm negationis rationem protuleris: Nam dicere non poteris, puncta mutata non esse, ne Biblia corrupta possint dici. Regeret enim, puncta sunt mutata, quod probavi. Ergo Biblia sunt corrupta, quod volo, & tute ipse sequi pronuncias.

21. Forsan concedes conclusionem ex parte; videlicet fontes ratione harum vocum esse corruptos, non autem inde sequi talem corruptionem, quam volunt Pontificii, ob quam universus Codex Hebræus sit rejiciendus, & vulgata pro autentica recipienda.

22. Sit responsio hæc sufficiens. Dic nunc, Lutherane vel Calviniane, suberat ne caussæ satis ad negandum literis יהוה alias à Masoretis substratas esse Vocales, ne scilicet concedere cogereris fontes esse corruptos?

23. Non

23. Non existimo. Quin potiùs adversario aliquid, quod vult, dedisti, nempe ex parte fontes esse corruptos, idque tum cum mutationem illam factam esse probaverit. Quàm periculosum autem illud sit adserere, quis non animadvertit, si sermo sit de Codice Hebræo, prout nunc ille constat notis Masoreticis? Ut enim omninò nequit negari, antequam Masoretæ Biblia reviderint, occurrisse quædam menda, quæ librariorum culpa irrepserint: Sic è contrariò constanter affirmandum, postquam Masoretarum studium accesserit, omnia illa esse sublata, & nunc satis diligenter cautum, ne qua in posterum committantur errata. Aut si aliquod irrepserit, poterit illud, beneficio notarum illarum facilè deprehendi, & textui sua restitui integritas.

24 Si propterea Pontificius dictum argumentum objiceret, 1. negarem Consequentiam: Non enim omnis mutatio est corruptio: Cum omnis Corruptio sit in deterius, quædam autem mutatio in melius. Atque sic ipse ex puris particularibus fuisset argumentatus. Quod deinde concernit puncta, quibus hodie afficitur יהוה, nego ea nominis inferre corruptionem; aut si aliqua est metuenda, erit illa in novâ illâ Galatini pronunciatione, quâ Vocales substratas cum literis יהוה effert, cum tamen non adsint ideo, ut cum illis efferri debeant. Ex mea autem sententiâ, literis יהוה additione Vocalium nihil vel accedit vel decedit, utpote qui relinquam literis illis eam vim pronunciationemque, quam ex ordinatione divinâ habuerunt (licet satis certus non sim, quæ illa fuerit, ut membro quinto dicetur) & saltem Vocales illas

Non omnis mutatio est corruptio.

aliarum consonarum esse, (ut mox probabitur) asseram, quæ loco יהוה cum suis illis Vocalibus, quæ sub יהוה scribuntur, sint efferendæ. Quemadmodum igitur Corruptionis Bibliorum accusari nequeunt, qui olim hodieq; illa absque Vocalibus scribunt imprimuntq; : Sic nec ille literas יהוה potest dici corrupisse, qui ipsis, quod, habuerunt relinquit, licet ipse sufficienter nesciat, quid illæ habuerint. Tutiùs enim est, profiteri, aliquid se nescire, quàm id adserere, de cujus Veritate nihil constat.

IV.

25. Postquam igitur hactenus dictum, puncta quæ hodie sub literis יהוה conspiciuntur, earum non esse propria; consequens nunc est, ut, quarum literarum illa sint propria, dispiciamus.

26. Sciendum igitur, in antiquis quibusdam exemplaribus punctatis literas יהוה absque omnibus Vocalibus esse positas, in hodiernis autem dupliciter punctatas illas occurrere. I. יְהוָה atque tum sunt Vocales nominis אֲדֹנָי quod Dominum significat, & soli Deo, ita cum Cametz absque accentu distinctivo notatũ, attribui à Nostratibus statuitur. Masorethæ annotârunt 134. sic scriptum in Bibliis occurrere. II. יֱהוִה quæ sunt puncta אֱלֹהִים Et hoc modo tantum scribitur, quando immediate præcedit vel sequitur אֲדֹנָי non interveniente accentu distinctivo: Cum illo enim est Psal. 16. v. 2. לַיהוָה אֲדֹנָי. Hanc formam 222 reperiri ab iisdem Masoretis est annotatum.

Adonaj

Elohim

27. Et

27. Et quidem יְהוָה per אֲדֹנָי fuisse lectum patet 1. ex Rabbinorum autoritate: sic enim (ut allegat Buxt.) scriptum in Thalmud legitur. Et quidem 1. *in Pesachim c. 3. f. 50. Dixit R. Nachman filius Iizchak: non sicut mundus hic, ita mundus futurus erit: in mundo hoc scribitur nomen eis per Iod He videl.* יהוה *& legitur per Aleph Daleth videl.* אדני: *In mundo futuro erit unum idemq; pronunciatum & scriptum* יהוה. 2. *Ex Kidduschim c. 4. f. 71.* Ubi inter alia Deus ad objectionem R Akibhæ: *Scriptum est, hoc est nomen meum & hoc est memoriale meum Exod. 3, 13. E. duo fuerunt nomina,* ita respondens introducitur: *non sicut scribor, ita pronuncior: Scribor per Iod, He, Vav, He: sed pronuncior per Aleph, Daleth Adonai.*

Jehova p. Adonaj lectum 1 2

28. Fuit E. horum Rabbinorum temporibus lectio per Adonai receptissima. An autem ipse Deus ejus pronuntiationis sit autor, quod posterior vult sententia; & an ex loco allegato Exodi probari possit, ego non assero; Sed potiùs existimo ab antiquis Masoretis, ut vocibus vulgò obscœnioribus reverentiæ caussæ: Sic nomini יהוה, ne quotidiano usu vilesceret, cum antea propria puncta habuerit, aliena illa vocum pro eo legendarum fuisse substrata.

29. An rectè autem hoc ab illis factum fuerit, ut non propugno; sic nec venerandam illam antiquitatem criminis alicujus hâc in parte commissi accusare audeo.

30 Imprimis cùm patescat, & septuaginta Interpretes & Paraphrasten Syriacum & Vulgatam, quemadmodum & Lutherum per suas interpretationes mutationem illam approbâsse. Constat enim, ut Radix היה non significat dominari, sic nec יהוה Dominum

reddi potuisse. Nihilominus tamen illi per Dominum, reddiderunt, itaq; אֲדֹנָי eos legisse, quod Dominum significat, facilè animadvertitur. Reddunt autem 70. per κύριος. Syrus quoties in N. T. occurrunt dicta ex V. T. allegata, in quibus habetur יהוה, suum usurpat vel מָרְיָא quod Dominum significat, vel אֱלָהָא quod Deum. *Ut animadvertet conferens Deut. 4, 24 & Heb. 12, 29. Deut. 6, 3. & Matth. 4, 10. ut & Luc. 4, 4. Deut. 8, 3. & Matt. 4, 4. Psal. 16, 18. & Act. 2, 25. Psal. 24, 1. & 1. Cor. 10, 26. Psal. 110, 1. & Matth. 22, 44. &c.* In vulgata veteri Exod. 3. ubi hoc suum nomen promulgat Deus, expressis literis legitur Adonai: aliàs autem per Dominum est redditum. Lutherus vertit HERR / sic tamen ut literæ sint majusculæ, ad indicandum illis in locis in fontibus haberi יהוה.

31. Quam lectionem per Adonai ulteriùs ostendunt, cùm præfixa & pronomen מָה; tum Dagesch lene post יהוה literis Begadcephath impressum.

32. Præfixa quod concernit 1. מ præfigitur per Hireck sequente Dagesch forti: Quod ex Iod schevato excidit & simul scheva removetur, ut מִיהוּדָה: ad cujus ductum dicendum מִיהֲוָה sed legitur מִיְהוָה. Quod satis argumento est, post מ fuisse lectam indageschabilem, qualis est א in Adonai: nam sequente gutturali vel Resch sub Mem pro Hireck & Dagesch est Zeri. 2. Literarum וכלב proprium punctum est scheva, quod sequente alio scheva mutatur in Hireck parvum, vel si sequens litera sit Iod, eliso Scheva in Hireck magnum, בִּירוּשָׁלַם in Jerusalem וַיְהִי & sit. Hinc dicendum בִּיהוָה / וַיהוָה sed nunquam ita, verùm וַיהוָה בַּיהוָה. Quî verò sic? propterea, quod lectum est per אֲדֹנָי. Huic n. voci, quando וכלב præpo-

præponuntur, debebat servilium scheva ob subsequens Hatephpatah mutari in Patah בַּאֲדֹנָי sed peculiariter in hac voce Patah & Hatephpatah contrahuntur in unum patah, legiturq; בַּאדֹנָי. Quod patah etiam est in בַּיהוָה quia per Badonai lectum. Per Baihova enim legi non potuit, quod Iod in medio vocali casum sileat; nec Bahova, quod Iod in Patah nunquam quiescat. Taceo, quod sonus posterioris prolationis durum quid præ se ferat: sonat enim, ut בָּהוָה quod est in pernitie.

33. Pronomen מה cum solis gutturalibus & Resch, si nempe illæ sequantur, habet Cametz docente Buxt. l.1. Thesauri. c. 11. p.m. 94, sed Psal. 89, 47. nomini יהוה præfixum habet Cametz: Ex quo apparet non Iod sed א (quod jam ex aliis constat) post voculam illam fuisse lectum.

34. Ulterius; constans est Grammaticorum regula, literæ Begad cephat, post vocem in quiescentem finitam, nisi sit accentu distinctivo onerata Dagesch non recipiunt. At post יהוה literæ illæ semper habent Dagesch lene. Aut igitur ה in יהוה non est quiescens, aut alia Vocalis mobilis loco ejus fuit lecta. Sed non potest non esse quiescens, cum sit finale: Finale autem omne, nisi sit cum Mappik, est quiescens. Igitur alia Consona mobilis, qualis est Iod in Adonai ibi fuit lecta.

35. Objici quidem hîc solet, in Adonai esse Hatephpatah in יְהוָה autem nudum scheva: sed id apud Hebræos non est infrequens, ut scheva simplex pro cõposito & vice versa usurpetur. Sic etiam Ezech. 17, 9. pro יְהוָה est יְהוִה. Quin imò ob crebrum usum sæpe qua-

quædam literæ omittuntur, ſæpe etiam vocales, ut inſigne de vocalibus exemplum habetur Num. 7.

36. Tandem, ſi יְהוָה non eſt per Adonai lectum, cur quæſo tum tantum, & nunquam aliàs ſua puncta mutat & ſcribitur יֱהוִה quando antecedit vel ſequitur Adonai, niſi ne bis tautologicè repeteretur Adonai, Adonai? Ex hactenùs dictis conſtare arbitror יְהוָה per Adonai fuiſſe lectum.

37. In יֱהוִה autem vocales eſſe אֱלֹהִים cuivis voces has conferenti, ad oculum patere poteſt. Nec enim Jehovi legi debuit, quod Iod cum Hatephſæghol efferendum ſe non offerat; He autem in Hireck quieſcere nequeat. Ulterius tamen de hac lectione conſtare poteſt, ex Pſal. 68, 21. Nam cur ibi ſcribitur לֵיהוָה niſi quod Zeri illud ſit ex uſitatâ illâ Craſi vocis Elohim, qua prō לֵאֱלֹהִים legitur לֵאלֹהִים? Approbat etiam eandem vulgatus interpres; quotiés enim in fontibus eſt יֱהוִה אֲדֹנָי vel vice verſa, ſemper יֱהוִה per Deum, quod אֱלֹהִים importat, interpretatur. V.

38. Hactenus itaq; cum dictum ſit, יהוה non plures, ſed unicam denotare vocem, quæ antiquitùs per proprias ſuas vocales fuerit lecta, quas autem nunc ſub ſe habeat, eæ non ſint illius, ſed vocum Adonai & Elohim pro illa lectarum, non immeritò nunc quæritur, quænam fuerint eæ vocales, quibuscum olim literæ יהוה fuerint prolatæ?

39. Quidam cum Judæis recentioribus vocales eas hodie omninò neſciri arbitrantur, inter quos eſt Johannes Druſius. Is enim in Apoc. 19, 12. ad illa verba; quod nemo novit niſi &c. ſic commentatur: *Forſan innuit nomen Tetragrammaton, quod nemo novit, hoc eſt, lege-*

legere potest propriis suis Vocalibus nisi solus Deus. Nam quod hodie contendunt legendum esse JEHOVAH *mera imperitia est, utinam non esset blasphemia. Nam* HOVA *pernities, unde Jehova pernitiosus. Hujusmodi sensus est in sono vocis; litera aliud significant.*

40. Sed existimo nimis confidenter à Drusio notitiam lectionis יהוה soli Deo adscribi, cum propterea nomen id suum revelaverit, ut etiam alii ejus notitiam haberent.

41. Quod autem lectio ejus hactenus inter nos obscurior fuerit, inde esse puto, quod plurimi traditionibus Judaicis de eo non efferendo seducti, de ejus genuina prolatione, ut quam vel impossibilem vel Dei Voluntati repugnantem sint rati, parùm cogitaverint.

24. Mihi verò hac de re cogitanti, quædam se obtulerunt, quæ vel per יַהְוֶה vel per יְהוֶה literas יהוה fuisse lectas, suaserunt. Ea placet hoc loco producere, non quasi pro certis venditem, sed saltem ut aliis de his ulterius cogitandi suppeditem ansam. Ipse autem si meliora edoctus fuero, sum paratus, hac meâ opinione relictâ, veritati palmam relinquere.

43. Et quidem, sive per יַהְוֶה sive per יְהוֶה nomen Dei fuisse lectum, innuere videtur I. Flexionis Analogia: Cur enim Deus in hoc nomine flectendo recedere ab ea voluerit, & aliam à reliquo Hebraismo discrepantem dare, non video: Cum reliqua nomina in scripturis illi adsignata, ad eam se accommodent, ipseq; Deus אֶהְיֶה à cognatâ radice הָיָה, ad cujus analogiam hic esset יְהוֶה, se appellaverit. II. Exempla alia alias Vocales substrata habentia. Ut enim illa, cessante obscœnitatis periculo, per analogas suas Vocales efferen-

da veniant ut שִׁינֵיהֶם Urinas ſuas, quod alias legebatur מִימֵי רַגְלֵיהֶם Jeſ. 36., 2. Ita, ſemoto profanationis timore, literas יהוה (ad normam aliorum propriorum יוֹסֵף, יַעֲקוֹב, יִשְׁחָק vel יִצְחָק) per יַהְוֶה vel יֶהָוֶה pronunciandas puto. III. Significationis convenientia. Si enim יהוה futurum eſt, ut *Dominus D. Francius p. m. de Interpret. Scripturæ Orac. 103. exiſtimat, proindeq; per Eriturus, interpretatur. Matthias Flacius Illyricus autem part. 2. Clav. Script. tract. 2. de Nomine* יהוה *per futurum illud reddendum eſſe eleganter & docte probat. Quibus reliqui noſtri Theologi, ut etiam vulgata, in editionibus recent. Exod. 3. illud per* ERIT *reddens, adſtipulantur;* cur igitur Futuri Vocales illius non eſſent propriæ? IV. Antiquitatis ſuffragium. Quamvis enim יַהְוֶה per Patah fortasſis in ſcripturis non inveniatur. *Finita enim in* ה *ſub* ח *&* ה *ſcheva per Sæghol dilatant,* Ut clariſſ. M. Troſtius Præc. & Fautor meus eruditè obſervavit. Cum tamen reliquorum verborum analogia id admittat, illisque etiam חנה חתה & הרה ſe accommodent, *ob antiquitatis conſenſum* יַהְוֶה ponere debui. Sic enim *teſte Fullero Quæſt. Miſc. l. 2. c. 6. ait Epiphan. contra Hæreſ. lib. 1. Tom. 3.* τὸ ἰαβὲ ὃς ἦν καὶ ἔστι καὶ ἀεὶ ὤν. *Jabbe eſt, qui eſt & erat & ſemper erit.* Hunc *Jabbe* autem *Samaritanorum Deum* facit *Theod. in Exod.* Quis a. ille, niſi Heb. יַהְוֶה vav in β mutato? Nec procul abludit Orac. Apoll. Clarii ap. Macrob. l. 1. Saturn. cap. 18. φράζεο τῶν πάντων ὕπατον θεὸν ἔμμεν Ἰαῶ, *Cunctorum ſummus Divorum habeatur Jäo.* Nam quamvis ille mille artifex nomen Jao, quod יַהְוֶה eſſe videtur ad Ethnicorũ Deos: Plutonem, qui præſit Hyemi; Jovem qui Veri; Solem, qui Æſtati; & Bacchum, qui Autumno, accommodet:

Jabe

Jäo

Conſtat

Constat tamen hoc nomine & Israelitarum Deum Ethnicis notum fuisse. Sic enim *Diod. Siculus*, qui paulò ante N. Christum vixit *l. 1. Bibl. Hist.* cum de L L. latoribus verba fecisset, qui leges suas Deorum munere se promulgâsse dixerint, tandem addit: ἐπὶ δὲ τοῖς Ἰουδαίοις μωσῆν τὸν Ἰαῶ ὀνομαζόμενον θεὸν ποιήσαντα τοὺς νόμους αὐτοῖς διδόναι, hoc est, *apud Judæos Mosen finxisse, Deum illum, qui Jao cognominatur, leges ipsi tradidisse*.

44. Sed יְהוָה lectum fuisse, est probabilius, cùm forma in Bibliis Hebr. extet, & quidem in Fut. 1. in Gen. 27, 29. Job. 37, 6. In Fut. 2. Chald, Dan. 4, 24. Esræ 6, 8. nec antiquitatis testimonio & ipsa destituatur. *Euseb. 11. lib. 1. c. 5. de Præp. Evang. citat Porphyrium docentem, fuisse apud Phœnices Historicum nomine Sanchouniathonem quendam Berithium, ipsis Trojanis temporibus antiquiorē, qui de Judæorū gente verissima tradiderit, ut, qui rerum omnium summas acceperit* παρὰ τοῦ ἱερέως θεοῦ τοῦ ἰευὼ *à sacerdote quodam Dei Jevo.* En Heb. יְהוָה saltem sæghol in peregrinam terminationem mutato.

ἰευὼ

45. Hæc habui, quæ citra ullius præjudicium, tantum Veritatis inquirendæ gratia, pro ingenii modulo in medium proferre volui. Quam, si aliam esse deprehendero, quàm hactenus existimo, falso relicto, quàm libentissimè illam amplectar.

Soli Deo gloria.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-581312-p0022-9

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-581312-p0023-4

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-581312-p0024-0

redēptionis
defensionis
protectionis
infirmitionis
dignationis
salutationis

Dig

virgo concipiet et pariet filiū et

moyses

potens coram plebe

virgam

in serpente

et in

mutata

Dei

virginitas et

virga aaron que fecit flo

et flores et fructus produxit sicut

de radice

Positiones
DE LECTIONE NOMINIS DIVINI
יהוה

Quas

בגה

PRO LOCO

In Amplissimâ Facultate Philosophicâ ab ejusdem Facultatis venerando Collegio benevolè sibi adsignato, publicæ ventilationi subjicit

M. PETRUS Richter Caloviâ-Lusatus

RESPONDENTE

JOHAN ERICO OSTERMANO Sorbigensi.

In Auditorio majori horis à septimâ matutinis die X. Decembris,

WITTEBERGÆ,
Typis hæredum CHRISTIANI THAM.

Anno cIↃ IↃ CXXIX.

19.